Q. F. F. F. Q. S.

QUÆSTIONES MEDICÆ DUODECIM,

AB

ILLUSTRISSIMIS VIRIS

R. D. PETRO RIDEUX DECANO Venerando, ANTONIO MAGNOL, HENRICO HAGUENOT, JACOBO LAZERME, ANTONIO FIZES, FRANCISCO DE SAUVAGES, Regis Consiliariis Medicis, & Professoribus Meritissimis.

PROPOSITÆ

IN AULA EPISCOPALI MONSPELIENSI coram Illustrissimo ac Venerabili D. D. FRANCISCO LE NOIR, Theologiæ Doctore, Canonico, Theologo, & Archidiacono majore Ecclesiæ Cathedralis Monspeliensis, Abbate Sancti Salvatoris Lodovensis, Vicario Generali & Officiali.

Pro Regiâ Cathedrâ vacante.

Per Obitum R. D. GERARDI FITZ-GERALD, Regis Consiliarii, Medici, & Professoris Meritissimi.

Quas, Deo favente, & auspice Dei-parâ, propugnabit in Augustissimo Monspeliensi Apollinis Fano, triduo integro; manè & serò, diebus 19, 20, *&* 21 *mensis Junii anni* 1749.

JACOBUS FARJON, M. D. M.

MONSPELII,
Apud AUGUSTINUM-FRANCISCUM ROCHARD, Regis & Universitatis Medicinæ Typographum unicum. 1749.

DEO
UNI ET TRINO,
AC
BEATÆ VIRGINI
DEI-PARÆ,

D. D. D. C.

JACOBUS FARJON.

QUÆSTIO PRIMA.

AN CALCULO RENUM CHIRURGIA AUT Pharmacia auxilium ſpecificum præbere poſſint.

IN pluribus humani corporis partibus efformari calculos edocet obſervatio, ſed eos qui in renibus, & veſicâ reperiuntur frequentiores eſſe in confeſſo eſt. Ex variis ſtratis, & portione firmiſſimâ, in centro contentâ nomine nuclei inſignitâ, calculum urinarium efformari, ejus edocet ſectio. Nullus adeſt calculus urinarius abſque nucleo ſeu rudimento, illud debetur *Fernelio*, (*a*) quod dein pluribus obſervationibus, & experimentis demonſtratum fuit. In renibus calculi urinarii rudimentum efformari cum feré omnibus medicis poſt *Fernelium* (*b*) aſſerimus; in eis non tantùm exoritur nucleus; ſed dum diutiùs remanet variis ſtratis quæ coagmentantur majorem minoremve molem, variam que figuram, ſæpe obtinet; id confirmatur variis obſervationibus, ſed præſertim calculorum mole ac figurâ qui in renibus ſummi Pontificis Innocentis XI. teſtante *Dioniſio* (*c*) poſt ejus mortem inventi fuere. Ad efformationem calculi urinarii cum *Fernelio* (*d*) agnoſcimus *conſtitutionem renum*

(*a*) Tom. 1. lib. 6. pag. 588.
(*b*) Eid. pag.
(*c*) Operations de Chirurg. pag. 182.
[*d*] Tom. 1. lib. 6. pag. 585.

arenosam, *& calculosam*, quam desumimus ex debilitate sivè hæreditariâ, sivè adventitiâ, sivè connatâ tubulorum uriniferorum, unà cum sanguinis diathesi siccâ, acri, & tartareâ. Urinam esse fluidum lixiviosum, quo eliminantur è sanguine partes per plures circuitus acres factæ, & partes alimentorum quæ vires vitales elusere, edocet Phisiologia: In lotio observantur partes aqueæ, salinæ muriaticæ, salinæ volatiles naturam salis ammoniaci ferè æmulantes, oleosæ valdè attritæ, & ad volatilitatem pronæ, tandemque terreæ cùm aliis partibus intimè permixtæ, quæ in fundo matulæ semper reperiuntur, eique adhærescunt. Hæ urinæ partes, seu hæc urinæ principia tenuiora, vel crassiora pro parciori aut uberiori aquæ copiâ, in urinâ manifestantur; id abundè edocet experimentum *Bellini* circà urinam; dùm ergo hæ particulæ, sivè defectu seri, sivè ex pravâ sanguinis diathesi in urinâ copiosiores, crassioresque existunt, urinæ rubræ, arenosæ excernuntur. Fingamus nunc aliquas urinæ partes tartareas in unâ ex fistulis urinariis ob molem nimiam copiam ve (concurrente etiam debilitate illius fistulæ) remanere, ibi sanè particulæ hæ prementur vasorum vicinorum oscillationibus, prementur, & quoque actione vasis in quo hærent (quamquam debile sit) hæ consequenter particulæ adunabuntur, pluribus sese tangent superficiebus, & actionibus illis iteratis expressis partibus aqueis mediantibus oleosis moleculis unientur; perseverantibus his actionibus, illa unio fiet adeò perfecta, ut veram lapidis duritiem sensim adipiscantur; hinc nucleus, seu calculi rudimentum, quod sæpissimè urinâ subsequente abripitur, in pelvim propellitur, uretheris trajectum perlustrat, & in vesicam delabitur; verùm si nucleus ille mole suâ in papillosam substantiam propelli nequeat, mole majore quam acquirit appulsu continuo urinæ, & unione novæ materiei, distendit illum tubulum, sensim comprimit partes vicinas, hinc imminutio actionum lateralium, hinc cohæsio minor molecularum, quæ quôlibet urinæ appulsu nucleo applicantur; at novis stratis adaugetur moles calculi, quæ quâ proportione à nu-

cleo recedunt laxiora, & friabilia evadunt imminutis nempè actionibus lateralibus; ſic efformatur calculus renum, qui protractâ compreſſione ſenſim abſumit totam fere hujuſce viſceris ſubſtantiam, aut qui mole ac aſperitate vaſa ſanguifera dilacerando, ſuppurationem accerſit, quâ totâ renis ſubſtantiâ peresâ, ren velut in marſupium mutatur pus calculum que continens. (a) In pelvi etiam efformatur ac creſcit calculus, dùm e ſubſtantiâ tubulosâ in eum delapſus nucleus, ibi remanet, & novis ac novis ſtratis ab urinâ ſuppeditatis mole adaugetur. Symptomata calculum renis denotantia eſſe ſummè æquivoca obſervationes edocent, vidimus enim cum Profeſſore Illuſtriſſimo ac chimico, (b) & Antagoniſtâ validiſſimo, (c) chimicum quemdam iſchuriâ falsâ laborantem ſine febre, dolore, & anxietate ullâ, qui poſt plura auxilia incaſſùm tentata interiit. Aperto cadavere, inventus fuit in utrôque urethere calculus magnitudine nuclei pinei, in pelvi utriuſque renis plures etiam calculi, ſed minores, cum magnâ materiei arenoſæ copiâ, & tota renum ſubſtantia urinâ, & materiis arenoſis ſummé diſtenta deprehenſa fuit, cum inflammatione gangrenodeâ, in nonnullis renum ac uretherum punctis: attamen ſi præceſſerint ea, quæ calculo natales præbent, ut ſi diutiùs æger fuerit uſus alimentis terreis, craſſis, & ſalitis, ſi aquas craſſas, paludoſas, aut ex nive liquatâ diutiùs indulſerit; ſi ex parentibus calculoſis ortum duxerit, præſertim ſi olim materiem arenoſam, & calculos excreverit, medicus ſuſpicari poteſt calculi renum præſentiam. 1°. Ex pondere moleſto, & gravante, quod in lumbis percipitur, aut ex doloribus vividioribus, qui calculi in pelvi contenti ſuſpicionem movent. 2°. Ex moleſtâ ſpinæ flexione. 3°. Ex doloris incremento dum in oppoſitam partem decumbit æger, & dum epulæ in inteſtina deſcendunt, econtra ex doloris levamine, dum in ægram partem cubat,

[a] Fernelius lib. 6. pag. 586.
[b] Mr. Fizes.
[c] Mr. Petiot.

eſt que jujunus. 4°. Ex ſignis nephritidis, quæ his accedere ſolent. Calculum renum eſſe morbum periculoſiſſimum nemo ſané ignorat, inflammatio, ſuppuratio, & alia ſymptomata, mortem citiùs accerſere ſolent. In eo morbo debellando parùm valent Chirurgia, & Pharmatia. Nephrotomiam eſſe impoſſibilem probat lumborum autoptia, conclamant autorum obſervata; attamen ſi fides non ſit deneganda Denyſii, & aliorum (*a*) obſervatis, hæc operatio inſtituenda utique dùm abſceſſu renum in regione lumbari prominente natura viam demonſtrat, quod rariſſimum eſt. Pharmacia nullum ſanè præbet remedium ad calculum infringendum, qui ſolo ſpiritu nitri diſſolvitur. (*b*) Hinc nulla eſt adhibenda fides *empyricis* qui vera lythontriptica ſe inveniſſe gloriantur, nec his remediis pro lythontripticis promulgatis; ea remedia ſunt vera diuretica calida, quæ ad ſubſtantiam renum tubuloſam, materiis arenoſis aut pituitoſis infarctam (modo non adſit febris, & dolor vehemens) liberandam ſæpe valent, ſed dum calculus veré eſt efformatus ſymptomata calculi ſemper intendunt, ac exaſperant; ſola remedia diluentia, & edulcorantia, in uſum tunc ſunt vocanda, non ut ſpecifica, ſed ut his remediis dilutâ, & edulcoratâ ſanguinis maſſâ laxentur viæ urinariæ, urina partibus tartareis minus ſit onuſta, incrementum non ſuſcipiat calculus, ejus ſymptomata mitigentur, & dies ægrotantis diutiùs protrahantur. Quâ propter concludimus.

Ergò calculo renum Chirurgia, & Pharmacia, auxiliam ſpecificum præbere non poſſunt.

[*a*] Vid. Heiſt Chirurg. tom. 2. pag. 811.
[*b*] Sennac Anotom. D. Heiſt pag. 211.

QUÆSTIO SECUNDA.

AN ad incubum curandum ſoli diætæ ſit inſiſtendum.

INCUBUS, Aſthma nocturnum, Epilepſia nocturna, *græcis Ephialtes*, & Gallicé *Cochemar*, eſt affectus tempore tantùm ſomni exitatus, ſomnoque diſcuſſo evaneſcens. Qui corripiuntur incubo, ſe ab aliquô monſtro, aut dæmone, pectori incumbentibus opprimi, & quaſi ſuffocari ſomniant; ſuffocationis metu vocem edere pertimeſcunt, aut tantùm incertam, ſuſpirioſam, ac exilem edunt, & citioris ſuffocationis metu, manus ad onus pectori incumbens amoliendum, amovendumque liberé movere non auaudent. In his circumſtantiis anxii ſummé fiunt, auxilium cupiunt, quod tantùm, cum expergiſcuntur, obſtinent. Vividis ánxietatibus ſummoperè perturbati ephialtici, aut ab adſtantibus ſuſcitati, evigilant, tunc onera pectori incumbentia evaneſcunt, prægreſſæ tamen affectionis recordantur expergefacti, & falſam imaginationem fuiſſe agnoſcunt, tunc de anheloſâ reſpiratione, membrorum tremore, corporis ſtupore, & cordis palpitatione ſæpiſſime conquæruntur. Ex his apud ephialticos imaginationem eſſe læſam nemo non videt, & illum morbum inter capitis affectus eſſe annumerandum, cum per ſomnum ſe manifeſtet, & poſt ſomnum diſcutiatur. Tempore paroxiſmi altiùs dormire ephialticos notum eſt clinicis, hinc major preſſio cerebri tempore ſomni, quam requiritur ad ſomnum naturalem, cum tardo ac gravi ſanguinis circuitu, in ſubſtantiâ pulmonum ab inſufficienti inſpiratione (ob ſuffocationis metum) & a depravatâ ſanguinis diatheſi exorto hujuſce morbi cauſam continentem inducit. Sanguinem ephialticorum eſſe craſſum, ſpiſſum, ac abundantem omnes confitentur

medici, omnes consequenter causas quæ sanguini inducere possunt id vitium incubi causas esse remotas testatur observatio. Verùm ad hunc affectum producendum, plurimùm conferunt temperamentum melancholicum, ictus capiti inflicti, nimia animi attentio, lucubrationes, uno verbo prava vasorum cerebri labes, sivè a parentibus accepta, sive in utero contracta, sive post nativitatem adepta: hinc exsurgunt incubi divisiones in hæreditarium, adventitium, & connatum, in accidentalem, & habitualem. Levior affectus est incubus, d'ùm rarò invadit, sed gravior est, dum habitualis; in Apoplexiam, Insaniam, Epilepsiam degenerat ut testantur observationes; quod abundé confirmat hunc affectum ad morbos capitis esse præcisé reducendum. Duplex est curatio incubi, tempore nimirum paroxismi, & extra paroxismum; tempore paroxismi, exsuscitandus est æger, eo semel exsuscitato, mens terrore perculsa verbis est pacanda, dein si summé sit plethoricus, & suffocationis periculo laboret tundenda est vena brachii, imo leve cardiacum est ei præscribendum si summo terrore semper percellatur, sic dissipato paroxismo, iterùm quieti se tradere potest æger, sed cum socio ut exsuscitari possit, si incubo iterùm corripiatur ..... Extra paroxismum, scopi curatiui sunt sanguinis diathesim emendare, digestiones roborare, & nimiam ventriculi repletionem præcavere, nam ingluviei sæpé debetur incubus, & crapulæ sæpissimè est proles. Conveniens diæta est præscribenda, hoc auxilio sanatur sæpissimé accidentalis, & præcaventur paroxismi in habituali; cibi itaqué *Euchimii* sunt præscribendi, vitanda sunt alimenta crassa, spissa, viscida quæ ventriculum gravant, & a quibus chylus spissus, & malé elaboratus elicitur. Potus Thé, Caffé est concedendus, exercitia sunt commendanda, cæna longa, & amplior interdicenda, ne gravetur & molestetur ventriculus, & anxia fiat nox. Prava sanguinis diathesis emendatur stomachicis, cephalicis, & aperientibus, sub diversâ formulâ post unam aut alteram venæ sectionem præscriptis. Cancros fluviatiles, & martialia maxi-

mé

mé prodeſſe teſtatur obſervatio. Si ſpiſſitudo, & craſſities, à defectu ſeri exoriatur, ut ſæpiſſimé in regionibus auſtralibus evenit, diluentia cum aperientibus majoris, aut minoris energiæ ſunt tunc ſocianda..... Verùm nullum ex his pharmacis percipietur levamen, ſi convenientem diætam non ſervent ephialtici, nec diæta ſola hunc curabit morbum habitualem, imò nec etiam accidentalem curabit cum vividi ac protracti erunt paroxiſmi, itaque ſub hoc reſpectu concludimus.

Ergo ad incubum curandum ſoli diætæ non eſt inſiſtendum.

QUÆSTIO TERTIA.

AN vomitui, & nauſeæ habitualibus, infuſum ſennæ per aliquot dies continuatum, ſit aliis medicamentis præferendum.

VOMITUS eſt ſubita, ac violenta per os ejectio materierum, quæ in ventriculo continentur.

Nauſea eſt inanis ad vomendum conatus, anxietate, ut plurimum ſtipatus.

A vitio ventriculi exoriuntur hi duo affectus, & iiſdem cauſis majoris, aut minoris energiæ debentur; in vomitu enim major, ac vividior eſt contractio ventriculi (nam per os ejiciuntur violento impetu materiæ contentæ) quam in nauſeâ ubi levior, & inſufficiens eſt hujuſce viſceris contractio, ut contenta ſurſùm & foras propelli poſſint. Hinc manifeſtum eſt, illos duos affectus inter ſe non differre, niſi ratione gradûs; cognito itaque vomitu, Theoria ac nauſeæ therapeia facile eluceſcent. Contractionem validam ac ſubitaneam totius tunicæ carneæ ventriculi, adjutam diaphragmatis & muſculorum abdominalium contractione eſſe

causam continentem vomitûs asserimus. Verùm in vomitu non tantùm contrahitur ventriculus, sed etiam fibræ æsophagi, & imarum faucium æquali contractione, eodem tempore corripiuntur, ut violento impetu foras ejici possint ventriculi contenta. Vividiori ac subitaneo lymphæ nerveæ appulsui debetur harumce partium contractio, vel ob causam in ventriculo hærentem, ac illum irritantem, vel ob vitium alterius partis, hinc *idiopathicus* vel *sympaticus* vocatur vomitus: *idiopaticum* vomitum, excitant nimia assumptorum copia, præsertim dùm pravis prædita sunt qualitatibus, saburra ventriculi, vermes in eo latitantes, Pharmaca intempestivè assumpta, venena deglutita, vasorum ventriculi sanguineorum nimia distentio ac repletio, acredo aut nimia spissitudo succi gastrici; vel acredo aut penuria illius muci qui internam superficiem naturali lege oblinit, atque lubricat. Excitatur vero *sympaticus*, à capitis succutione, à visceribus vicinis infarctis, à dentitione difficili, navigatione, aut in rhedâ vectione, Skirro pylori, visu horrendorum & nauseosorum ut mulieribus sæpissimè evenit.

Dum vomitus facili negotio sive erraticè, sive periodicè recurrit, tunc fit habitualis, qui semper à causâ primis remediis obsistente inducitur, ut à vermibus, ab acrimoniâ & nimiâ spissitudine succi gastrici, ab obstructionibus organorum ventriculi secretoriorum, ab infarctu pancreatis, à penuriâ muci gastrici, sed sæpissimè ab Skirro pylori.

Vomitus ac nausea habituales (de quibus quæstio est) facili negotio noscuntur, sed non tam facili negotio eorum deteguntur causæ: attamen vermes suspicatur medicus crebrâ sputatione, narium pruritu, morsu ventriculi, dejectionibus cinereis aut argillosis, & præsertim si vermes excreverit æger. Acredinem, nimiam spissitudinem succi grastrici, & obstructiones, ab his quæ præcessere, ab ejectis & à dolore obscuro in ventriculo, dum ingeruntur alimenta. Penuriam muci gastrici à dolore vivido dum ingeruntur alimenta, à temperamento ægri, & ab his quæ morbum

antecessere ; obstructionem pylori ab Skirro suspicamur ; dum absentibus aliarum causarum signis , materies chilosas (adstrictâ penitùs alvo) vomitu habituali sed periodico , rejicit æger. Vomitus , & nausea morbi sunt molesti ratione irritationis in ventriculo , sed periculosos exhibent morbos dum habituales, nam chili penuriâ marcescit corpus , siccescunt solida , vappida & acria fiunt fluida, sic penitùs sed sensim labefactantur functiones ; attamen ratione causarum, majus aut minus afferunt periculum, nam ab Skirro pylori lethales sunt, dum ab aliis causis infausta aut inutilis semper non est medicina. Varianda est therapeia horumce affectuum ratione causarum, sed à quâcumque causâ pendeant, initio conveniunt venæ sectiones, dum adhuc vigent vires, hoc auxilio præcaventur ruptiones vasorum aut partium inflammationes, nam vomendi conatibus in capite, pectore, & imo ventre valde præpeditur sanguinis motus. A quâcumque etiam causâ exoriantur, laudanum prodest dosi viribus accomodatâ, laudani operâ fibris nerveis conciliatur laxitas, lacessitusque ventriculus nullam aut fere nullam percipit noxam, hinc per certum tempus sopitur vomitus. Vomitus, & nausea, ab Skirro pylori nullam suscipit medicinam, præsertim dum penitùs occluditur dextrum ventriculi orificium : in his circunstantiis, enematibus nutrientibus, & aliis auxiliis præsertim per anum injectis protrahenda est vita ægrotantis ; verùm initio tentanda sunt aperientia cum diluentibus sociata, & alia auxilia ad discutiendum hunc tumorem lymphaticum apta. Dum ab acredine, & penuriâ muci gastrici, debellandi sunt hi morbi demulcentibus mucilaginosis, & narcoticorum largâ dosi, nam eorum auxilio laxatis nervis obtunditur sensus ventriculi, nullam noxam ei afferunt ingesta, retinentur medicamenta, & sensim curantur hi affectus. Dum ab obstructionibus organorum secretoriorum ventriculi, conveniunt stomachica, cathartica, & aperientia parvâ dosi, & diutiùs continuata. Dum à vermibus anthelmintica, cathartica

& ſtomachica methodicè ſunt adhibenda. Dum ab ſpiſſitudine liquorum gaſtricorum initio emetica, cathartica, dein ſtomachica calida in uſum ſunt advocanda, aquæ thermales maxime proſunt, ſicut etiam antiemeticum *Riverii*, nam illud ſal neutrum quod ex acido citri, & ſale alkalino lixivioſo abſinthii exſurgit, carpit, dividit, attenuat & fluxiliorem reddit illum ſuccum gaſtricum; in illo caſu conveniunt etiam diluentia cum levibus attenuantibus, dum à ſiccitate pendet illa ſuccorum gaſtricorum ſpiſſitudo. Verùm à quâcumque causâ pendeant vomitus ac nauſea habitualis infuſum ſennæ per aliquot dies continuatum, non eſt aliis auxiliis præferendum; nam 1°. Tædium ægrotanti adduceret. 2°. Sanguinem nimis exſiccaret. 3°. In pluribus circunſtantiis hos exaſperaret morbos. Unde concludimus.

Ergò Vomitui & nauſeæ habitualibus infuſum ſennæ per aliquot dies continuatum non eſt aliis medicamentis præferendum.

QUÆSTIO QUARTA.

AN purgantia agant irritando & ſuccutiendo & quo in caſu conveniant.

CATHARTICA ſeu purgantia ſunt ea medicamenta, quæ interiùs aſſumpta, aut exteriùs applicata ſecretionem alvinam adaugent, ſeu per alvum evacuant.

Catharticorum actio debetur particulis eorum integrantibus nunc primariis nunc ſecundariis. Eorum diverſi effectus ſoliditati, cohæſioni, & moli harumce particularum tribui debent, non autem principiis chimicis ut aſſeruerunt chimici, & forſàm ut plures adhuc aſſerunt; quamquam experientiæ ab Academiâ Pariſienſi ſæpiùs repetitæ ab errore

eos

eos avertere deberent. Adaugetur ſecretio alvina dùm frequentior fit motus inteſtinorum periſtalticus, & uberior ſecretio inteſtinalis; ſed frequentior fit motus periſtalticus dùm cauſa contrahens ad fibras inteſtinorum carneas uberiùs appellit, & non appellit niſi cauſâ determinante quæ immediatè agit in inteſtina, aut mediatè ut evenit e. g. in dentitione difficili. Succuſis & irritatis fibris nerveis alicujus partis fluidum nerveum ad partem ſuccuſam & irritatam uberiùs appellere denotant illius partis concuſſiones convulſivæ, & contractiones vividiores ac majores; ſequitur ergo cathartica particulis ſuis integrantibus primariis aut ſecundariis ſuccutere & irritare fibras nerveas ventriculi & inteſtinorum, nam eorum ope adaugetur, & frequentior fit contractio tunicæ carneæ ventriculi & inteſtinorum cum liberior fiat alvus, præterea actio irritans & ſuccutiens catharticorum abundè demonſtratur nauſeis, colicis doloribus, ſenſu caloris quæ in abdomine perſentiuntur dum agunt cathartica, imo etiam motibus convulſivis & inflammationibus imi ventris, quæ actione catharticorum excitantur, dum intempeſtiuè, aut largiori doſi, aut inconſultè aſſumuntur cathartica præſertim mochlica.....

Nulla ſunt profectò uſitatiora in praxi pharmaca catharticis, nam vel morbi à pravis digeſtionibus oriuntur, vel digeſtiones pervertuntur tempore morbi. Præſcribuntur & conveniunt cathartica ad evacuandas ſaburras primarum viarum. Ad liberiorem reddendam alvum dum ſine causâ manifeſtâ pigra evadit. Ad adaugendam ſecretionem ventriculi & inteſtinorum, tum ad evacuandum ſerum ſuperfluum, ut in diverſis hydropis ſpeciebus, tum ad depurandum ſanguinem particulis craſſis, & activis, quæ circulationem interturbando febres putridas aut malignas accendunt, nam in his febribus alternis diebus præſcribuntur cathartica non ſolùm ad evacuandas cachochilias, ſed etiam ad depurandum ſanguinem particulis putridis, quæ has procreant febres. In diverſis ſpeciebus *cachochimiæ* conveniunt cathartica, tum ad evacuandum ſerum ſuperfluum & noxium, tum ad

evacuandas partes craſſas & viſcoſas, tum ad aufferendas obſtructiones vaſorum lymphaticorum modò recentes ſint, nam particulæ catharticorum in ſanguinem tranſeunt, eum attenuant ac carpunt, ſed eorum particulæ ope circulationis in lymphatica delatæ obſtructiones diſcutiunt, eaque reſerant, ſive attenuando lympham craſſam & ſpiſſam, ſive adaugendo oſcillationes vaſorum, ſic faciliùs elaborantur liquores, ſic faciliùs fluunt. Inſuper in cachochimiis proſunt cathartica, quia non ſolùm pravos ſuccos eliminant, obſtructiones recentes aufferunt, ſed etiam quia digeſtiones corroborant; a perverſis namque digeſtionibus ſæpe pendent cachochimiæ, unde in his morbis ſicut in omnibus chronicis prima indicatio eſt emendare, & digeſtiones corroborare. Tandem in genere præſcribuntur cathartica ad reſtaurandam fluiditatem ſanguinis, causâ ſpiſſante amiſſam.

Ergò purgantia agunt irritando & ſuccutiendo & in prædictis conveniunt caſibus.

QUÆSTIO QUINTA.

AN Paralyſi aquæ bellilucanæ.

PARALYSIS ſeu nervorum reſolutio eſt abolitio, aut imminutio ſenſus, & motus, aut alterutrius, cum affectarum partium laxitate.

Senſus & motus abolitio perfectam paralyſim conſtituit, alterutrius tantùm imperfectam. Imperfecta etiam dicitur Paralyſis, cum imminuitur motus illæſo ſenſu, & viceverſa, aut cum unà motus ſenſuſque imminuuntur. Cum una aut altera corporis pars paralyſi corripitur, hæc particularis vocatur; univerſalis verò cum feré totum corpus aut

maxima ejus pars resolutione tentatur, eaque paraplegiam, & hemiplegiam comprehendit. Ponitur paraplegia, cùm omnes partes capiti subjectæ afficiuntur, hemiplegia vero, cùm alterutrum corporis latus paralysi corripitur. Paralysis sæpe epilepsiæ aut apoplexiæ succedit (cum discussâ epilepsiâ aut apoplexiâ remanent tament aliqua vasa nimis distenta, quibus pressis originibus nervorum inducitur paralysis) tuncque deuteropathica seu secundaria; sæcus protopathica seu primaria est. Sensus & motus exercitium tamdiù perficitur quamdiù debita adest nervorum tensio à fluido nerveo potissimùm oriunda, perit econtra cùm cessat illa tensio; hinc deducenda est causa paralyseos continens ex laxitate nervorum partium paralysi correptarum. Eaque inducitur laxitas, vel dùm emolliuntur nervi nimiâ seri copiâ, ut evenit cachecticis, & eis qui vitam degunt in locis nebulosis & humidis. Vel dùm denegatur fluidum nerveum in eis, ut fit cùm uruntur, aut secantur nervi, dùm comprimuntur ab ossibus luxatis, tumoribus vicinis, à vasis sanguiferis aut lymphaticis ingurgitatis ac nimis distentis (ut evenit cùm a plethorâ inducitur paralysis, aut cùm à saburris primarum viarum subitò inspissatur sanguis, aut cùm viru aliquo inquinatur lympha & nimiam consistentiam contrahit), laxantur nervi dùm obstruuntur ab spisso vel sicco fluido nerveo, aut a miasmatis metallicis, ut apud fossores metallicos observatur. Laxatis penitùs omnibus vasis nerveis ad partem tendentibus fit paralysis perfecta, at cùm relaxantur tantùm ea, quæ motui inserviunt, aut ea tantùm quæ sensum parti præbent fit paralysis imperfecta. Si omnes alicujus partis nervi subitò relaxentur, cùm paralysi gangrenâ tentabitur pars, si vero pedetentim, marcescet, & atrophiâ corripietur. Paralysim morbum esse curatu difficilem pronuntiant medici. Difficile namque reserare nervos, hinc fit paralysim ab obstructione nervorum incurabilem sæpe esse. Paralysis à compressione facilius curatur, attamen incurabilis fit dùm inveterascit; nam à compressione inducitur nervorum obstructio; nil mirum

ergò ſi paralyſis ab ſpiſſitudine & lentore ſanguinis ſucceſſu temporis incurabilis fiat. Paralyſis deuteropathica ſeu apoplexiæ aut epilepſiæ ſuccedanea raró curatur, & plerùmque in eos affectus ſoporoſos iterùm degenerat. Atrophia partis paralyticæ omnem curationis ſpem tollit. Ut curetur paralyſis fibris nerveis reſtituenda eſt debita tenſio, amovendo & oppugnando cauſas laxitati nervorum faventes. Præſtò itaque erunt venæ ſectiones (præſertim dùm adeſt plethora) ſed numquàm in parte paralyſi correptâ inſtituendæ, quæ nimirùm ex virium vitalium languore aliis partibus ſæpe magis frigeſcit. Item Emetica, cathartica ſed è claſſi hydragogorum deſumpta dum à ſero copioſiori natales ducit paralyſis; cephalica, hydrotica, ſtomachica; frictiones etiam mercuriales dum pendet à virù venereo, quæ ut plurimùm reſerant nervos, modo recens ſit paralyſis. Præſtò etiam erunt diluentia, & levitér edulcorantia cum cephalicis, aperientibus ſtomachicis ſociata, cum à ſiccitate exoritur paralyſis. Verùm in omni paralyſi (exceptâ paralyſi à ſiccitate ortâ) aquæ thermales ut ſunt noſtræ Bellilucanæ totam medicinam adimplent, potu ſaburras primarum viarum aufferunt, balneis & irrigationibus ſanguinem attenuant, ſerum ſuperfluum evacuant, nervos reſerant, & tenſionem debitam eis conciliant unde concludimus.

Ergò Paralyſi aquæ Bellilucanæ.

QUÆSTIO SEXTA.

AN turundarum & penicillorum uſus utilis ſit in Curatione vulnerum.

VULNUS eſt ſolutio continui recens, cruenta & repentinè facta in partibus mollibus ab aliquâ causâ externâ. Ad

Ad duas vulneris ſpecies omnia vulnera reduci poſſunt, ad inciſiones & ad vulnera contuſa. Puncturæ etiam ad ea reduci debent vulnera ratione inſtrumenti pungentis.

Inciſiones ſunt vulnera ab inſtrumentis ſecantibus excitata, quæ ſæpiſſime abſque ſuppuratione ſanatur. Vulnera verò contuſa fiunt ab inſtrumentis contundentibus, & numquàm abſque ſuppuratione curari poſſunt, quod ſummé notandum eſt, ut cum bonis ægri rebus tractentur vulnera.

Hujuſce continui ſolutionis cauſæ ſunt ergo corpora ſecantia & contundentia, ſive in noſtras partes infenſé aut fortuitò adigantur, ſive in ea partes noſtræ caſu quocumqué inpingant.

In omni vulnere adeſt dolor & ſanguinis effuſio, ſed major in inciſione, quia in inciſionibus vaſa ſecundùm idem planum dividuntur, econtrà minor in vulneribus contuſis, quia in eis inæqualiter diviſa, attrita, & laniata ſunt vaſa, & eorum extrema effuſioni ſanguinis obſiſtunt. Facto vulnere & effuſâ certâ ſanguinis copiâ, inflantur vulneris labra, dolor adaugetur, inflammatio labiis ſupervenit, poſteà vulnus ſuppurat, & effuſo pure ceſſant ea ſymptomata, detergitur vulnus, carne impletur, & cicatrice obducitur.

Vulnus eſt ſolutio continui partium mollium ergo *ſynthesis* eſt generalis indicatio : ſeu ſcopus curativus vulnerum, conſiſtit ut iterùm uniantur partes ſejunctæ ac probé agglutinentur. Arte approximantur labra ulneris, ſed toto naturæ opere uniuntur ac conglutinantur.

Vulnera cæſim facta curantur abſque ſuppuratione, ſi levi manu aut ſuctu depletis atque exſuccis vaſis cæſis ſanguine & lymphâ, approximentur labra ulneris, & in eo ſitu retineantur faſciis adunantibus, aut ſuturis (ſi neceſſum ſit) dein ſi imponatur aliquod Balſamum ut v. g. de *copajva* aut *canadenſe* aut *peruvianum* imprimis, ut labia vulneris adverſus aëris injurias tueantur, & ut humores in eis fluxiles ſerventur : Tunc vaſa cæſa materiem puris non continentia, quia depleta & exſucca fuere, ſubſidunt, defectu fluidi & oſcillationibus vaſorum integrorum obliterantur, anguli

vero vaſorum integrorum extenduntur, carnea grana efformant quæ ex utroque labro pullulando ſenſim approximantur, coeunt, & inter ſe inſeruntur, dum vaſa cæſa ut mera ligamenta intra grana carnea remanent. (*a*)

Vulnera vero contuſa abſque ſuppuratione curari non poſſunt, quia vaſa attrita & laniata obſiſtunt effluxui ſanguinis, qui in eis coacervatur, unde natura labia vulneris unire ac glutinare non poteſt, quin ab eâ liberetur ſarcinâ : itaque tractanda ſunt ea vulnera levi ſuppurante, ut *Balſamo Arcei* aut digeſtivo ſimplici cum unguento ſuppurativo ſociato, & factâ ſuppuratione deterſiva, ſarcotica, & epulotica in uſum ſunt vocanda, ſi natura ea expoſtulet. Verùm in curatione vulnerum noxium eſſe turundarum & penicillorum uſum, conclamant obſervata *Magati* & *Beloſtii*, & ratio ſuadet, nam eorum uſus *ſyntheſi* obſtat, exitum puri præcludit, dolorem vividiorem excitat, novas vaſorum dilacerationes accerſit, uberiorem ſuppurationem procreat, & cicatricem retardat. Ablegandus itaquè eſt eorum uſus in omni fere vulnerum curatione. Duæ tantùm adſunt circunſtantiæ in quibus adhibendæ ſunt turundæ aut penicilli (*b*) 1°. Cùm anguſtum eſt vulnus, non ut ſervetur apertum vulneris orificium, ſed ut paretur effluxus puri, quo facto ablegandæ ſunt turundæ. 2°. In vulneribus thoracis & imi ventris cum læſione contentorum, ut ſanguis aut pus expugetur, nam alia non adeſt via, & in illo caſu imponenda eſt turunda, quamdiú vulnus internum expurgatione indiget, itaqué exceptis his duabus circunſtantiis concludimus.

Ergò turundarum & penicillorum uſus utilis non eſt, ſed econtra noxius in curatione ulnerum.

(*a*) Diſſertat. 1. de ſuppur. D. Fizes.
(*b*) Magatus lib. 1. cap. 45. pag. 293.

QUÆSTIO SEPTIMA.

AN anginæ ſuffocatoriæ Bronchotomia.

QUOTIES reſpirandi deglutiendive, uel utriuſque ſimul adeſt difficultas a faucium anguſtiâ exorta, toties adeſt angina.

Quadruplicem hujuſce morbi ſpeciem diſtinxerunt veteres medici; namque *Cynanchen* ſi vitium in muſculis interioribus laringis reſideat, ſi in exterioribus *Paracynanchen*; econtra *Synanchen* ſi interiora pharingis tentantur, ſi exteriora, *Paraſynanchen* appellarunt. Rejectis his antiquorum anginæ diviſionibus, & recentiorum placitis adſtipulantes anginam dividimus. 1°. In legitimam ſeu inflammatoriam cum ſcilicet ab inflammatione anguſtantur fauces, & in ſpuriam ſeu ſkirroſam aut ædematoſam cum ſkirro aut ædemate afficiuntur. 2°. In Epidemicam & ſporadicam. 3°. In Idiopathicam & ſympathicam. 4°. In non ſuffocatoriam, in quâ ſat libera eſt reſpiratio, & ſuffocatoriam cum inflammatione nimirùm occluditur fermé larinx, ita ut niſi ſummo molimine ducatur ſpiritus. Qui ſuffocatoriâ anginâ tentatur de dolore vehementi, ſummoque imarum faucium calore conqueritur, os hiat, frigidum aerem captat, vocem edit acutam, clangoſam, ſibilantem; ſiti anxietatibus & febre acuta laborat; in eo dolens fit inſpiratio frequens; expiratio autem parva eſt ac frequens; calore urenti in pectore torquetur, quo adaucto pulſus parvus & inæqualis fit, inflammantur pulmones, & invitis optimis auxiliis de medio tollitur. Morbus hic juvenibus conſtitutione ſanguineâ præditis potiſſimùm familiaris exitatur, quando in finibus arterioſis partium internarum & externarum laringis ſubito hæret ſanguis, in eis vividiùs agitatur, ac prætermodùm diſtendit

eorum parietes, tùm exin ampliantur lymphaticorum & ſecretoriorum oſcula, in ea deviant globuli purpurei, & inflammatio tenax declaratur, ex quâ excitantur ſymptomata ſuperius enarrata. Periculoſiſſimum morbum conſtituit angina ſuffocatoria, quique promptiorem medelam exigit, nam inſufficienti inſpiratione interturbatur in pulmonibus ſanguinis circuirus, inflammantur pulmones, gangrænâ corripiuntur ægrique protinùs intereunt. Præceps itaque ferendum ei morbo auxilium inſtitutis incunctanter venæ ſectionibus ac pluries repetitis; tum applicatione cataplaſmatum emollientium ac reſolventium; Tum incraſſantia ac diluentia, ſi impenſé rareſcat ſanguis, erunt præſcribenda; attenuantia autém ſi ſpiſſitudine ac viſcoſitate peccent fluida; emetica aut cathartico emetica ſi ſaburra in primis viis hujuſce morbi fomes agnoſcatur. Aſt ſi his omnibus adhibitis, nihiloſeciùs ferociat morbus, operatio chirurgica inſtituenda erit, eâ namque protrahi poteſt vita miſeri ægrotantis, & forſan ſalus inferri, modo in extremis non inſtituatur ea ſæva chirurgia.

Ergò anginæ ſuffocatoriæ Bronchotomia.

QUÆSTIO OCTAVA.

AN paſſioni iliacæ a volvulo globi plumbei ſint hydrargiro anteponendi.

EJECTIO per os materierum tum in tenuibus tum in craſſis inteſtinis contentarum cum obſtinatâ alvi adſtrictione, & acerbis ventris doloribus paſſionem iliacam conſtituit. Varia huic affectui impoſita fuere nomina. Alii enim hunc vocaverunt *paſſionem iliacam*, quòd ut plurimum ſedes ejus ponatur in inteſtino ileo. Alii *Volvulum*

ſeu

ſeu *convolvulum* quòd exiſtimata fuerint inteſtina in eo contorta. *Barbari* eum vocant *Miſerere*, quòd ut plurimùm lethalis ſit, quódque ſævities ſymptomatum & caterva adſtantes ad commiſerationem moveat. Juxta naturæ leges è ventriculo in duodenum propulſæ materiæ ad anum tandem feruntur motu inteſtinorum vermiculari ſeu *Periſtaltico*, nam ſucceſſivé accipiunt ac exprimunt materies inteſtinorum portiones. Aſt ab inteſtinis in ventriculum eructari non poſſunt materies, quin invertatur ille motus qui tunc *antiperiſtalticus* dicitur ; cauſa itaque continens paſſionis iliacæ, ex illo inteſtinorum motu inverſo, eſt deſumenda. Invertitur in iliacâ paſſione ille motus, ob obices in ductu inteſtinali enatos, ſive à fæcibus penitùs induratis, ſive à vermibus in aliquâ inteſtinorum parte glomeratis ; vel dùm è ſede ſuâ dimoventur inteſtina, ut in variis herniæ ſpeciebus ; dùm conſtringitur una aut altera inteſtinorum pars à violentâ, & conſtanti fibrarum annularium contractione, demùm cùm invaginantur ac complicantur inteſtinorum partes, quod non infrequenter evenit ut teſtantur cadaverum apertiones.

Volvulus (qui hujuſce quæſtionis præbet argumentum) manifeſtatur dolore accutiſſimo modò ſuprà, modò infrà umbilici regionem, tumore abdominis duro, notabili, inſtar chordæ protenſo, & omnimodâ alvi adſtrictiòne ; dein progrediente morbo accedunt nauſeæ, vomitus nùnc pituitæ, nùnc materiæ biliofæ, nùnc bilis, nunc chyloſæ materiei, tandém ſtercoris aut materici ſtercori ſimilis, unà cum ructibus fætidis: tandém gelidus ſudor, extremorum frigus, anxietates ſummæ, anhæloſa reſpiratio, ſingultus, animi deliquium ſuperveniunt ; ſymptomata quidem mortis certiſſimæ prænuncia. Periculoſiſſima eſt iliaca paſſio à volvulo, & ut plurimùm lethalis ; difficile namque eſt adhibitis quibuſcumque auxiliis partem inteſtinorum ſubingreſſam evaginari ac explicari, quæ quidem poſt paſſos vehementiſſimos dolores gangrenâ, dein ſphacelo corripitur. In hujuſce morbi diri inſtituenda therapeia, duplex adeſt ſco-

pus. 1°. Symptomata mitigandi. 2°. Ductum inteſtinalem expediendi. Hi adimplentur ſcopi venæ ſectionibus, ptiſanis demulcentibus, fomentis emollientibus abdomini applicatis, laudano, amigdalarum dulcium oleo. Imminutis per hæc auxilia ſymptomatis tentanda ſunt levia cathartica, ut E. C. dilutum caſſiæ, ad plures cyathos, quod ſi vomitu rejiciatur, hydrargirum eſt præſcribendum, vel duo aut tres globi plumbei exhibendi. Verùm ut hydrargirum & globi plumbei ſuo pondere tantum id opus præſtant; cùm autem hydrargirum plus ponderat ſpecificé plumbo, inde concludimus.

Ergo paſſioni iliacæ globi plumbei non ſunt hydrargiro anteponendi.

QUÆSTIO NONA.

AN ſuppurationis cauſa ſit putredo, an alia aſſignanda.

SUPPURATIO ea eſt naturæ actio, quâ à fluidis in vaſis ruptis hærentibus, & inſpiſſatis nec ampliùs vitæ habilibus, ſimulque à vaſculorum lacinis, tanquam à ſarcinâ noxiâ ſe expedit ſub ſpecie liquaminis, quod pus dicitur. Opus id naturæ ſæpe peragitur in tumoribus inflammatoriis, cùm ex nimio infarctu plura rumpuntur vaſa ſanguinea, ut & in vulneribus inflammatis præſertim contuſis. (vid. Queſt. ſext.)

Actio hæc peragitur motu vitali adaucto ſanguiferorum ingurgitatorum, vehementer prementium vaſa rupta, ſuccutientium fluida eorum vitâ orba, & inſpiſſata; exprimentium eorumque particulas commiſcentium.

Utcùmque veró illud naturæ molimen, putredinis indolem minime ſapiat; ut clariùs elucefcat quæſtionis ſolutio, ſequentibus attendere juvat.

1°. (a) *Putrefactio est motus intestinus, qui in effectu omnia facit salina volatilia, alkalina, olea fœtidissima, volatilia, terram ipsam fere volatilem.* Pus optatæ indolis (vulgo laudabile nuncupatum.) existit, *cum fluidum constituit mediocriter spissum, gelatinosum, tenax, subalbidum, in omni puncto æquabile, minime fœtidum* (b) *nihil omnino hæterrogenei habens.*

2° *Pus in aqua demissum fundum petit, ut nostri humores boni circulatorii, sed corruptus humor supernatat ut nostri humores excrementii* (c)

3°. Nulla unquam visa fuit putredo in partibus vitâ viventibus, nec in parte vitâ orbâ ulla suppuratio.

4°. Cum è vasis effusa sunt semel fluida, vitâ orbantur, eam numquam recuperatura, sæpéque putrescunt; ast ut fiat suppuratio debent fluida. 1°. Viribus vitalibus in parte suppurante ad auctis objici, nam dùm languent vires vitales nulla aut feré nulla, aut summé vitiata adest suppuratio. 2°. Exagitari. 3°. In propriis vasis ruptis contineri, nam sanguinem extravasatum in pus mutatum fuisse nemo unquam vidit, sive è vasis magnis, sive è minimis profluxerit; sive in magnâ sive in parvâ quantitate collectus. Ea debemus lucubrationibus Professoris illustrissimi. (*d*) Ex his manifestum est causam suppurationis non esse putredinem cùm requiratur vita ut fiat pus, sed suppurationis causa est vita; nam oscillationibus iteratis vasorum integrorum partis affectæ, in vasa rupta abbreviata, & retracta, fluidoque, (præsertim sanguineo) quiescente, vitâ orbo tumidâ tota debetur suppuratio; ut in suâ dissertatione primâ de suppuratione, per observationes eorum, quæ in eo opere naturæ peraguntur, apud ægros, sat fusé explanavit Proffessor Illustrissimus (*e*) Unde concludimus.

Ergò suppurationis causa non est putredo, sed causa à nobis assignata.

(*a*) Element. Chim. Boerhaav. tom. 2. pag. 184.
[*b*] Vanswieten tom 1. pag. 604.
[*c*] Gorterus in aphorismos Hipp. pag. 121.
[*d*] Mr. Fizes.
[*e*] Mr. Fizes.

QUÆSTIO DECIMA.

AN utcumque per hydrargirosim curetur lues venerea, curetur & quoque herpes excitatus a lue venerâ conceptâ.

AD debellandam luem veneream, partem sanguinis albam tantùm infestantem, *hydrargirum* sive mercurium esse specificum jam receptum est; sed plura hujusce turpis luis symptomata hydrargirosi quamquam methodicé administratæ obsistere sæpé, denotant skirri, exostoses, & herpetes qui post luem veneream conceptam corpus humanum infestant. Verùm quâ de causâ symptomata hæc hydrargiro luis venereæ specifico debellata nùnc evanescant, nùnc post hydrargirosim subsistant: ex his quæ jam dicturi sumus, propositam quæstionem solvendo patefiet.

Herpes tumor est erisipelaceus, ut plurimùm prurigi-nosus, qui cutem serpentibus minimis pustulis exasperat, exulceratque.

In hocce cutaneo affectu primariò afficiuntur glandulæ miliares seu vasa cutis secretoria ac excretoria, imo & lymphatica; & per compressionem tantùm afficiuntur sanguinea. In his vasis sæpé tota residet causa herpetis, ut cum à cutis sordibus excitatur, nam ablutâ cute, & bis aut tér inunctâ jejuni hominis salivâ hic evanescit herpes; Verùm sæpissimé a pravâ sanguinis diathesi fovetur, undé obstinatus, contumax, ac difficilis curatu. Prava hæc sanguinis diathesis Herpetem fovens exoritur vel a viscíditate quâdam cum acredine conjunctâ, vel & imprimis a siccitate & salsugine, pro ut significant. 1°. Ea quæ herpetem procreare solent, ut alimenta salsa, piperata, fumo condita; liquores ardentes; exercitia nimia; lucubrationes, curæ, sollicitudines graves. 2°. Pharmaca quæ in herpetis curatione adhibentur; frequentiùs enim diluentibus

bus & edulcorantibus curatur, quàm attenuantibus & hydroticis.

Lympha nunc viſcida & acris; nunc ſicca & muriatica vaſa cutanea difficile tranans, ac in eis hærens, fibrillas cuticulam cuti alligantes rodens aut exſiccans; nunc leves, nunc altiores & majores exulcerationes & ſuppurationes accerſens Herpetem nùnc *miliarem* nùnc *furfuraceum* nùnc *cruſtoſum* nùnc *ferinum* ſeu *exedentem* producit. Herpes venereus fit cum a lue venereâ conceptâ, lympha cutanea craſſitiem & acrimoniam contrahit, & cùm hâc ſolâ labe inquinatur lympha hydrargiroſi evaneſcit penitùs herpes. Verum herpes venereus cùm aliquâ ex illis diatheſibus ſuperiùs enarratis non rarò ſociatur; id aperté demonſtrant. 1°. Ea quæ luem veneream anteceſſere. 2°. Infauſtus hydrargiroſis eventus; obſervatio enim quotidiana edocet venereum herpetem hydrargiroſi ſæpe reſiſtere, eâ que debité inſtituta nihiloſecius permanere, vel quod contingit frequentius evaneſcere; deinceps vero recrudeſcere. Mercuriales atomos concretiones parvas ac duriſſimas lymphæ à viru venereo excitatas tantùm debellare edocent clinicorum obſervata, dum hydrargiroſis effectu pravæ ſanguinis diatheſes memoratæ herpetem foventes ſemper exaſperantur: itaqué dùm herpes lue venereâ conceptâ excitatus cùm aliquâ ex illis diatheſibus ſociatur, uſu hydrargiroſis deſtruitur virù venereum; ſed ſopitur tantùm alia lymphæ labes prægreſſâ ſed congruâ præparatione quæ ante hydrargiroſim inſtituitur; ut & etiam victûs regimine, quod hydrargiroſis tempore obſervatur, unde peractâ hydrargiroſi redit iterum; aut eis auxiliis reſiſtit unde invitâ hydrargiroſi perſeverat. Verùm tunc herpes non exiſtit venereus, ſimplex jam eſt à pravâ ſanguinis diatheſi dependens qui oppugnandus eſt remediis, his conſtitutionibus ſanguinis adverſis. Itaque ſi ſanguis viſciditate & acrimoniâ peccet adhibenda ſunt juſcula teſtudinum, cancrorum fluviatilium cum herbis attenuantibus; ſerum lactis millepedibus & ſucco chærefolii aut cichorei alteratum;

lac ebutyratum & alteratum decocto radicum chinæ ſarſæparillæ imò viperarum juſcula, ſi viſcoſitas acrimoniæ prævaleat. Aſt ſi ſiccitate & ſalſugine potiſſimum vitietur ſanguis aquæ acidulæ minerales; balnea; juſcula cum ranis, cancris & herbis refrigerantibus; ſerum lactis millepedibus tantùm alteratum; lac caprillum, aſininum; & alia ejuſdem indolis in uſum ſunt vocanda. Ex his itaque patet quòd quamquam ad veneream luem debellandam hydrargirum ſit ſpécificum, in certis tamen circunſtantiis herpes à lue venereâ conceptâ excitatus hydrargiroſi non curatur unde concludimus.

Ergò utcumque per hydrargiroſim curetur lues venerea, non curatur ſemper herpes excitatus à lue venereâ conceptâ.

QUÆSTIO UNDECIMA.

AN in morbis ſoporoſis cerebellum minus afficiatur cerebro, & quare.

AFFECTUS ſoporoſi, apud medicos, ſummæ ad ſomnum ſunt propenſiones, aut ſopores alti, nùnc ſinè, nùnc cum febre ac interdum delirio, aut convulſione aut motibus convulſivis; hinc affectum ſoporoſorum diviſio in ſimplices & complicatos. Vigent & alacritér exercentur functiones dum fluidum nerveum in debitâ copiâ ſecretum, nervos que replens ad partes liberé ac debité appellit, & lege contrariorum labuntur aut feriantur functiones, dum eis denegatur, in eaſve parcé fluit. In affectibus ſoporoſis feriantur aut ſummè imminuuntur ſenſus, & voluntarii motus; viget è contra ſæpe que adaugetur vitalium functionum exercitium, ergó ad ſenſuum motuumque voluntariorum organa parcé fluit, eiſque denegatur fluidum

nerveum; quo tempore vitæ organis satis suppeditatur. Excitatur soporosus affectus quandò premitur ita cerebrum, ut exin imminuatur notabiliter fluidi nervei secretio, & laxitas insignis concilietur fibris nerveis. Illud aperté edocuerunt *Wepferus & Peyerus qui canibus per majorem aut minorem cerebri a cranio denudati compressionem, arte soporem conciliarunt.* (*a*) Id abundé edocuit (b) *notabile exemplum cujusdam mendici Parisiensis, cui casu quodam magna cranii pars deperdita & cerebrum denudatum fuit. Hic ex leviori cerebri compressione oculorum obtenebrationem, ex paulo fortiori, aurium tinnitum; ex adhuc graviori vertiginem & soporem passus; & cessante pressione, ab iis iterum liberatus fuit symptomatibus.* Comprimitur cerebrum à fracturis cranii, ab humoribus effusis; frequentiùs verò à vasis sanguiferis nimis repletis ac dilatatis sivè à sanguine crasso, & spisso; sivé a sanguine abundante aut rarefacto. In cerebro & cerebello secernitur præsertim fluidum nerveum; quod ad functiones exercendas impenditur, ergò si in affectibus soporosis functiones, quæ à cerebello fluidum nerveum suppeditante dependent, vigeant, dùm feriantur functiones à cerebro pendentes; sequitur cerebellum in his affectibus minorem cerebro pati pressionem. Functionum vitalium organa à cerebello nervos mutuantur (*c*) sicut à cerebro & spinali medullâ functionum animalium, nam si secetur aut comprimatur cerebellum, pereunt cordis & respitationis motus; (*d*) in soporosis affectibus vigent imò intenduntur functiones vitales (imminuuntur & quoque dùm à causis comprimentibus afficitur cerebellum) feriantur vero aut saltem imminuuntur animales; ergò manifestum est in affectibus soporosis cerebellum minorem cerebro pati pressionem, quod etiam abundé demonstratur exemplo notabili illius mendici Pari-

(*a*) Apud Frider. Hoffm. Tom. 4. pag. 55. pag. m. 210. Tom. 3.
(*b*) Apud eumd. aut. eid pag.
(*c*) vid. diction. de James in verb. actio.
(*d*) Sennac anatom. d'Heist. pag. 671.
Quod etiam, hoc anno duplici experientiâ in cane tentatâ institutum fuit Coram Proff. illustrissimo D. De Sauvages in Theatro anatomico D. Davisard.

ſienſis, *nam ex graviori tantùm cerebri preſſione ſoporem paſſus fuit, quâ ceſſante ab eo fuit iterum liberatus*; nec tamén minùs vigebant pulſus & reſpiratio. In his affectibus minùs cerebro afficitur cerebellum duplici de causâ. 1°. Quia cauſis affectuum ſoporoſorum minus obnoxium eſt; nam ob ſitum cauſis externis obſiſtit, & (*a*) ob tenuitatem ac ſummas vaſorum diviſiones cauſis internis magis reſiſtit. Aſt cauſis internis, & cauſarum externarum incurſui ſummé obnoxium eſt cerebrum, & ratione vaſorum ampliorum & numeroſiorum actioni vehementi ſanguinis expoſitum eſt, cùm is citius aut uberius propellitur. 2°. Quia ob ſtructuram, cauſis internis magis reſiſtit, nam cerebellum cerebro firmius eſt, (*b*) ac durius (*c*) & in eo cava non inveniuntur ut in cerebro, unde concludimus.

Ergò in affectibus ſoporis cerebellum minus afficitur cerebro, & ob rationes allatas.

QUÆSTIO DUODECIMA.

Quænam ſit inter morbos & Pathemata animi analogia & connexio.

MORBI ſunt affectiones corporis ex quibus læduntur functiones ejus notabiliter, & conſtanter. Animi pathemata vehementes ſunt affectiones animæ, ex quibus notabiles in corpore ſubſequi ſolent mutationes, voluntate nullâ concurrente imò ſæpiùs eâ invitâ & impotente,

(*a*) { winſlou Trait. de la tête No. 101. Sennac anatom. d'Heiſt. pag. 687.
(*b*) Sennac.
(*c*) Sepulcret. Bonnet. pag. 53. Tom. 1.

te, quin & interdum tenuente animâ ratiocinante.

Animi pathemata pertinere videntur ad facultatem *imaginatricem*, cujus ſane ingens imperium in corpus oſtendunt potiſſimùm melancholia, deliria quævis, & effectus ſtupendi in non nullis prægnantibus obſervati. Cum affectiones notabiles ex animi pathematis exſuſcitantur in corpore, morbi procreantur, mutato videlicet motu cordis & vaſorum ſanguineorum, ſivé per relaxationes, ſivé per ſpaſmos mutatis ſecretionibus, imó interdùm mutatâ per ſpaſmum localem unâ ſecretione ut bilis ex irâ, aut non nullis muſculis ſpaſmo affectis; mutatis digeſtionibus, omnino interdum totâ ſubverſâ machinâ. Fiunt hæc mutato fluidi nervei fluxu naturali, id eſt vel retardato, vel incitato, vel facto irregulari aut inæquali ex animæ affectione. Ergo animi pathemata tunc fiunt cauſæ læſionum functionum. Læduntur itaque ab animâ functiones, læduntur & a morbis, ergo ſumma tunc inter animi pathemata & morbos analogia; magna & quoque connexio, cùm fiant etiam animi pathemata cauſæ morborum, ut patet ex dictis examinanti.

Verum & quoque morbi animi pathemata procreant, fiuntque eorum cauſæ, quatenùs ex his aut relaxatur ſyſtema nerveum, vel tenditur nimis, vel etiam quatenùs ex his fluidi nervei mutatur ſecretio & indoles, ſicut ſecretio ejus vel fiat parcior vel uberior, idque progeneretur aut craſſitius aut lentius, aut tenuius & ad fluendum magis habile. Hinc ægri proniores ad iracundiam, deſperationem furorem, ſéd potiſſimùm ad mærorem, metum, triſtitiam. Et hæc eſt tantùm analogia & connexio, quam inter morbos & animi pathemata admitimus; nam cum *ſthalio* potentiam nullam agnoſcimus in animâ quæ, quæcumque peraguntur in morbis dirigat, ſivé ex neceſſitate, ſivé alio modo.

Ergò determinata eſt ex præfatis analogia & connexio inter morbos & animi pathemata.

ERRATA

PAG. 5. lin. 24. post *diutius*, leg. epotaverit, si vini tartarei diuturno usui, liquoribus ardentibus, veneri diutius.
Pag. 6. lin. ult. *auxiliam*, leg. auxilium.
Pag. 7. lin. 13. *obstinent*, leg. obtinent.
Pag. 17. lin. 5. *sanatur*, leg. sanantur.
Pag. 17. lin. 29. *ulneris*, leg. vulneris.
Pag. 18. lin. 25. *expugetur*, leg. expurgetur.
Pag. 19. lin. 26. *exitatur*, leg. excitatur.
Pag. 22. lin. 17. *lacinis*, leg. laciniis.
Pag. 26. lin. 19. *affectum*, leg. affectuum.
Pag. 26. lin. 1. *tenuente*, leg. renuente.

D. Petiot

quaest. 1a quisnam catarrhus vel suffocans vel ferinus est periculosior, &c.?
2a an Panaritium differat à carbunculo &c.?
3a an Dolori coli Pictonum aeris et vini mutatio?
4a an post amputationem partis gangraenâ affectae, cauterium actuale?
5a an hydrophobiae hydrargirosis?
6a Sudoris sanguinis causas et therapeiam exponere.
7a an hepatis abscessui incisio?

8ª. an calculus vesicæ felleæ viribus, medicamentorum expelli possit.?
9ª. an detur aneurysma verum?
10ª. an emeticorum stibiatorum vis &c.?
11ª. an detur anarrhopia, &c.?
12ª. choream Sancti Viti exponere.

+o D. farjon.

1ª. an calculo renum chirurgia, &c.?
2ª. an Incubo sola diæta?
3ª. an vomitui et nauseæ habitualibus &c.?
4ª. an purgantia agant irritando &c.?
5ª. an Paralysi aqua belliluçana?
6ª. an turundarum et penicillorum usus utilis &c.?
7ª. an anginæ suffocatoriæ bronchotomia?
8ª. an passioni Iliaci globuli plumbei &c.?
9ª. an suppurationis causa sit putredo, &c.?
10ª. an per hydrargyrosin curetur herpes &c.?
11ª. an in affectibus soporosis cerebellum minus afficiatur cerebro?
12ª. quænam sit inter morbos et animi Pathemata connexio?

+o In clar. Lamure Parergon de aneurismate animadversiones honorati Petiot